



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 1. Admiranda Insulæ Zacynthi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

Alexandrum. Plinius lib. 31. cap. 2. ex Theophrasto, ait in eâ reperiri paruos pisces pariter mortiferos. *Antigonus cap. 174. ex Theophrasto. Plinius lib. 30. cap. 16. Vitruuius lib. 8. cap. 3. Pausanias in Arcadicis. Plutarchus in Alexandro.*

In Agro Megapolitano stellarum modo campus ardet: ardor autem ille iucundus est, frondemque densi supra se nemoris non admittit. *Pausanias in Arcadicis.*

Ad urbem Clitorium, fons dictus Clitor, aut Clitorius, ex quo qui bibit fit abstemius à vino. Cuius vera causa est visinnata huic fonti contraria vino. Aiunt fabulæ purgationes Prætidarum à Melampode in fluuium illum projectas esse. *Vitruuius lib. 8. cap. 3. ut Poëtas prætermittam.*

Circa Clitorium piscis dictus *Exocetum* reperitur, sic dictus quòd in siccum fomni causâ exeat. Traditur, & illic vocalis esse, & sine branchiis. Pausanias Pæcilia vocare videtur, & fluuium Araonium vocat, & piscem illum vocem edere ad instar Turdi; insuper id maximè vesperi contingere, quod tamen negat à se deprehensum esse. *Plinius lib. 9. cap. 19. & Pausanias in Arcadicis.*

Nonacris fons mortem affert gustantibus ex nimio frigore, vnde eius aqua dum profluit, lapidescit. *Vitruuius lib. 8. cap. 3. Plinius lib. 31. cap. 2.*

Linus fons in Arcadiâ partum custodit, abortumque fieri non patitur. *Plinius lib. 31. cap. 2.*

Aqua Alifonis fontis sanat eos quos canes rabidi momorderunt. *Pausanias in Arcadicis.*

In monte Lyceo fons *Agnon* dictus, in quem post sacrificium projectus ramus querneus tempore siccitatis pluuiam impetrabat. *Idem Pausanias.*

§. 8. De Insulis Græciæ in mari Ionio.

N V M. I. Admiranda Insula Zacynthi.

In hac Insulâ fontes picis magnam copiam cum aquis euomunt. *Herodotus in Melpomene, & Vitruuius lib. 8. cap. 3.*

Ex lacu Zacynthio piscibus abundante, pix existit: quidquid in eum proieceris in mari postea apparet, licet quatuor stadiis à mari distet. *Antigonus cap. 169. ex Eudoxo.*

Quo tempore flant Etesia hinc caprae hiantes stant ad Boream, eoque contentae nec quaerunt aquam, nec bibunt. *Antigonus cap. 143.*

In hac Insula terra admixta cibo cum reddit meliorem, & suaviorem. *Apollonius cap. 33. ex Theophrasto.*

NVM 2. *Admiranda Cephalenia, Ithaca, & Echinadum.*

In Cephaleniâ amnis quidam penuriam Cicadarum, & copiam dirimit; scilicet ab una parte plurimae reperiuntur, ab alterâ nullae visuntur. *Plinius lib. 11. cap. 27. & Antigonus cap. 3.*

In Cephaleniâ nascuntur minuta animalia, quae lanâ ut oves vestiuntur. Item & serpentes hinc innoxij sunt, & in dormientium pectoribus, & sinu blandè repunt sine ullo periculo eorum qui hoc patiuntur. *Itinerarium Baronis de Beauvau.*

In Cephaleniâ caprae non bibunt ut reliquae quadrupedes quolibet die, sed ora aduersùm ventis obuertunt. *Aelianus tradit 6. mensibus non bibere capras. Aristoteles in Admirandis.*

Circa Cephaleniam pisces adeò falsi sunt, ut pro falsamentis sumi possint. *Plinius lib. 32. cap. 2.*

In Ithacâ lepores non nascuntur, & illati moriuntur potissimum in littore extremo. Addit Iulius Pollux eam solam inter Insulas leporibus carere. *Antigonus Carysius cap. 11. Plinius lib. 8. cap. 58.*

Ad Echinadas tempore Tiberij, circa id tempus quo Christus expiravit, auditae voces lugentium Magnum Panna mortuum esse, idque distinctissimè à nautis. *Baronius tom. 1. ad annum Christi 34. ex Plutarcho de effectu oraculorum.*

§. 9. *De maioribus Insulis in mari Aegaeo.*

NVM. 1. *Admiranda Insula Creta.*

CRETAM aliquando incoluit quidam Tellus nomine, qui eam de die ter circumibat. *Agatharcides.*

Ibidem alni fructum ferunt. *Aristoteles in Admirandis.*

Hinc caprae sagittis ictae recurrunt ad Dyctamnum, haec enim herba expellendi teli vim habet. *Antigonus cap. 36. Aristoteles lib. 9. cap.*